



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Tribunal Poenitentiæ Sev Libri Dvo Prior De Poenitente Ut  
Reo Posterior De Confessario Ut Judice**

**Stoz, Matthäus**

**Anno M.DC.LXXXIX.**

§. 5. De Reservatione Episcoporum aliorūmque Prælatorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37144**

casus à Laym. cit. cap. 12. n. 6. relatios, & à Palao de penit. Diff. un. p. 15. n. 15. & seqq. explicatos designavit: quos quidem non ipse Regularibus reservavit; nec Superioribus præcepit, ut reservent; sed tantum permisit, ut, si veliat, & consultum judicent, possint reservare. Quodsi præter undecim illos casus judicet Prælatus Regularis esse præterea unum aut plures alios pro Religionis conservatione vel conscientia puritate reservandos, id aliter fieri licet & validè non potest, quam, ut Pontifex in sua Bulla loquitur, *cum matu-ra discussione & consensu Capituli Genera-lis pro toto Ordine vel parte, & Capituli provincialis pro tota provincia vel parte.* Unde jam etiam Prælatus Regularis nec excommunicationem, sub qua stabiliter peccatum aliquod aliud prohibet, potest fibialio modo reservare, ut rectè contra Palao l. c. n. 6. Suarez & alios docet Dicast. de penit. Diff. 11. n. 110. Tamb. de Casib. reservat. cap. 8. §. 2. n. 21. *cum aliis,* testanturque ita declaratum esse à Congregatione Cardinalium 1617. 7. Julii. vide Dian. p. 3. tr. 2. Ref. 49. Nempe, cum quid unâ viâ prohibetur alicui, adid alia non debet admitti. Reg. 84. in 6.

Episcoporum potestas in reservandis casibus non est quidem, ut Regularium, limitata à Pontifice; nihilominus tamen Trid. Sess. 14. cap. 7. & ipsa recta ratio jubet, ita reservationem facere, ut cedat non in destructionem, sed adificationem. Unde si faciant nimiam & indiscretam, peccant mortaliter. Tamb. tr. de Casib. reserv. cap. 2. n. 3. quia Sacramentum Pœnitentia redunt nimis grave, præbentque hominibus occasionem confitendi saelegè. Imò aliqui putant talem Episco-

pi Reservationem esse etiam invalidam; sed melius negat cum aliis Laym. cit. cap. 11. n. 5. qui ibidem rectè addit, in dubio, cum in eo semper pro Superiore præsumendum sit, omnem Reservationem esse habendam pro valida & licita.

### §. V.

#### *De Reservatione Episcoporum, & aliorum Prelatorum.*

63. VI. Episcopus in Jure scripto nullus casus aut censura est reservata. Filliac. tr. 15. c. 10. n. 237. Palao cit. p. 15. §. 2. n. 2. Quos tamen plerique omnes solent reservare, refert Laym. cit. cap. 12. n. 4. & explicat Palao cit. §. 2. à n. 4. An & quos præter illos aliquis Episcopus, ut potest, voluerit reservare, debet Confessarius ex suæ Diœcesis statutis, vel consuetudine intelligere, & tam illos, quam omnes alios casus, à quibus ob reservationem absolvere nequit, in mente & oculis habere, ne limites suæ potestatis excedat; similiam etiam diligenter semper attendere, an peccatum omnes eas habeat conditiones, quas sup. n. 58. diximus requiri, ut juxta communem Ecclesias usum pro reservato possit haberij.

64. VII. Reservatio Episcopalis habet tantam vim intra Diœcisin reservantis Episcopi, sed cum limitationibus mox indicandis. Unde si Diœcesanus post commissum casum reservatum transferat suum domicilium in aliam Diœcisin; imò si vel tantum in eam excurrat, ut viator; potest ibi à quolibet approbato & exposito Confessario absolviri sine onere se postea suo Episcopo sustendi. Filliac. tr. 7. cap. 1. à n. 283. Laym. l. s. tr. 6. cap. 10. n. 10. Tamb. tr. de Casib. reserv. cap. 1. n. 6. quia

quia Jurisdictionem, quam confessarius in viatorem ex aliena Diœcesi venientem habet, nec consuetudo restringit, nec Episcopus censetur restringere, nisi clare exprimat: modò tamen aliquis in alienam Diœcesin non ideo præcisè excurrat, ut ibi à reservatis absolvatur. Cùm enim hoc modo Reservatio fieret elusoria, meritò censentur Episcopi velle, ut exteris confessariis in tali casu Jurisdictione sit tantùm cum aliqua restrictione delegata. Vide Bonac. *sup. n. 54.* & Palao *n. 45.* relatum. Aliud est de Regularibus. *sup. n. 45.* ex quibus tamen Religiosi Societatis JESÙ, si in itinere volunt confiteri, possunt per confessarium ordinariū loci, quā transeunt, & in ejus defectū per quemlibet ex Societate approbatum; & cùm iste quoque deest, per externum Sacerdotem à casibus in Societate reservatis absolvī directè, sed tantùm cum hoc onere, ut postea suo superiori se fistant, eique, vel, impletatā ab eo licentiā, alteri confiteantur juxta Ord. Gen. *cap. 6. n. 6.* Ratio quia, cùm Casus isti sint nostris Sacerdotibus directè, & externis indirectè reservati *sup. n. 62.* volunt quidem Superiores in gratiam & bonum suorum subditorum prædictis Sacerdotibus potestatem directè absolvendi delegare; sed non aliter, quācum pacto, ut subditi hoc ipso vicissim velint esse, & sint ipso facto graviter obligati ad onus illud se fistendi, & iteratō confitendi. *Lug. de Pœnit. Diff. 15. sect. 6. §. 3.*

Quodsi econtra aliquis peccatum in sua Diœcesi non reservatum confiteatur in aliena, ubi est reservatum; non potestibi absolvī, quia confessario illius

loci est per reservationem ablata necessaria Jurisdictione juxta Tamb. *tr. de casib. reser. cit. cap. 1. n. 7.* Laym. *cit. n. 10. cum aliis.* Sed quoad hoc non consentio. Tum quia reservatio fit ab Episcopo non nisi in bonum propriæ Diœcesis; ergo illa se non extendit ad peccatum ab aliquo viatore extra Diœcesin commissum; sicut enim hoc peccatum nihil obest bono Diœcesis, ita etiam ejusdem Reservatio nihil prodest. Tum quia confessarius viatorem ex aliena Diœcesi venientem absolvit per Jurisdictionem, ab Episcopo v. g. vel Parocho viatoris ex recepta consuetudine delegatam. Laym. *l. 5. tr. 6. cap. 10. n. 9.* atqui hæc, ut ponitur, non est ab iis illo modo restringita, ergo et si confessarius vi sue ordinariæ Jurisdictionis non possit à casu in sua Diœcesi reservato subditum suum absolvere, potest tamen vi Jurisdictionis delegatae absolvere viatorem ex alia Diœcesi, in qua casus ille non est reservatus, veniente. vide Dicastillo *de pœnit. Diff. 11. n. 244.* Loquor autem hinc de viatore tantum, & non de peregrino. Iste enim cùm in loco peregrinationis habeat quasi domicilium, est subjectus ordinariæ Jurisdictioni illius loci, & secundā leges loci illius deber judicari: quod solum Laym. Tamb. & alii urgent. Aliqui volunt, quid Diœcesani etiam extra Diœcesin peccando possint incurrire reservationem à suo Episcopo per statutum factam, ut communiter fit; quia ad bonum commune Diœcesis facit, ut subditi non tantum intra, sed etiam extra Diœcesin abstineant ab atrocibus criminibus, & boni maneat, vide Dicast. *L. c. à n. 239.* Quidquid autem de hoc

D 3

fit,

sit, certè post redditum in Diœcesin non possunt à tali peccato per ordinarios confessarios absolviri.

## §. VI.

*Quis absolvere possit à reservatis?*  
*spectatim in articulo mortis,*  
*& quomodo?*

65. VIII. A reservatis absolvere aliquem potest I. ipse qui reservavit. II. ille, cui aliquid est ab alio reservatum, ut Episcopis à Pontifice; superioribus locubus à Provinciali, Generali &c. III. qui alterutrius hujus est Vicarius, de quo vide Tamb. *de Casib. reservat. cap. 8.* §. 1. n. 4. IV. horum Superior. V. qui ab aliquo ex istis habet delegatam potestatem in reservata. VI. cùm in articulo mortis nulla sit Reservatio, ideo omnes sacerdotes possunt tunc quolibet pœnitentes à quibusvis peccatis & censuris absolvire, ut habet expressus textus Trid. *Sess. 14. cap. 7.* de quo jam etiam *sup. n. 52.* actum est. Intelligitur autem per articulum mortis non solum illud tempus, quo iam ultimus vitæ spiritus trahitur, sed ut Laym. *cit. cap. 12. n. 13. v.* *His adde.* recte docet, & probat Dicast. *de penit. Disp. 10. n. 357. & 409.* etiam quodvis probabile & moraliter propinquum periculum mortis, in quo scilicet frequenter contingit, ut homines facilè moriantur; & provenire solet ex infirmitate, ex capitali sententia Judicis, ex imminente conflictu cum hoste, partu periculoso, navigatione tempestuosa, ex contagione pestis & similibus causis, vide Tamb. *Tr. de Reservat. cap. 12. n. 25.* Quilibet ergo in tali periculo, etsi in id

suâ sponte se conjecerit, vel ex propria culpa inciderit, Dicast. *I. c. n. 410.* potest à quibusvis reservatis peccatis & censuris absolviri per quemlibet Sacerdotem, etiam irregularē & degradatum. Dicast. *I. c. n. 360.* imò & per censuratum vitandum, adeoque per hæreticum publicè denuntiatum, Laym. *cit. n. 13. v. Notandum.* Sed quoad vitandum nemo etiam in periculo mortis potest absolutionem licet ab eo petere (quia etiam tunc est adhuc prohibita communicatio cum illo) nisi justa causa excusans, vel nullus alius habilius sacerdos adsit. Dicast. *I. c. n. 386.* Tambur. *tr. de Reservat. cap. 12. n. 21.* Per quemlibet autem simplicem sacerdotem non vitandum potest quilibet in articulo mortis à quibusvis reservatis, etiam praesente quovis alio habiliore, legitimam quoque potestatem habente in illa, absolvī, ut docent DD. *citr. sup. n. 52.* contra alios, & bene probat Dicast. *I. c. à n. 368.* quia alioqui in articulo mortis esset adhuc respectu talis simplicis sacerdotis verè aliqua Reservatio, cùm tamen Trid. simpliciter dicat nullam esse; & quia alioqui pœnitens, qui fortè, ut facile fieri potest, horreret suum peccatum confiteri alicui ex habilioribus, esset adhuc in periculo, ne hac occasione pereat; quod est contra finem à Trid. intentum. Sed hæc postremaratio, ut consideranti facile patebit, falso ostendit, necessarium quoque esse, ut Ecclesia sicut censurato vitando dat pro articulo mortis in quemvis & quavis ejus reservata peccata Jurisdictionem, ita etiam concedat, ut quilibet pœnitens eō tempore possit scienter & licet ab illo petere eorum absolutionem, præsente quoque alio habiliore.

66. Et-